



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 6. Boetii & Symmachi fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI.
A.C. 525.

§. VI.

Boetii & Symmachi fata.

Papa Constantinopoli versante Rex Theodoricus vinculis dedi iussit Senatores duos omnium illustrissimos Symmachum & ipsius Generum Boetium, qui ambo Consulari Dignitate fulserant. Criminis læsæ Majestatis incubantur, nempe quod Senatus Auctoritatem adversus Theodorici molimina defenderent. Ceterum ea quoque causa subesse potuit, quod Boetius ferventer amaret Religionem Catholicam, quam editis multis libris tuebatur. Libros duos inscripsit Joanni Papæ tunc temporis Ecclesiæ Romanæ Diacono; scilicet unum contra Eutychem & Nestorium de duabus Naturis & unica Jesu Christi Persona, alterum de Quæstione logica, an Pater, Filius & Spiritus Sanctus de Divinitatis Substantia prædicari & affirmari possint. Symmacho Socero suo inscripsit Tractatum alium, in quo demonstrat, Trinitatem unum Deum non vero tres Deos esse. Maxime operam dederat Aristotelis Logicæ, cujus tractatus aliquot vertit & explicavit. Is primus inter Latinos fuisse fertur, qui illius Philosophi Doctrinam Theologiæ accommodare cœperit. Inter opera ejus celeberrimum elegantissimumque est Liber de Consolatio-

ne

ne Philosophiæ, (*) quem in carcere con-
cinnavit. In eo de Providentia & Præ-
scientia Dei digne loquitur. Boetius Ti-
cini comprehensus & neci datus est jam
anno 524. Justino & Opilione Consulibus
Indictione secunda; haud diu postea anno
sequente 525. Socer ejus Symmachus in
vincula conjectus & necatus est.

Sæculum VI.

A. C. 525.

Mar. Chr.

§. VII.

(*) Cum in manibus mihi sit præstantissimum
opusculum, juvat illud ex Libro IV. excerpere:
*Sed cum ultra homines quemque provehere sola
Probitas possit, necesse est, ut quos ab humana
Conditione dejecit, infra hominis meritum de-
trudat Improbitas. Evenit igitur, ut quem
transformatum vitiis videas, hominem existi-
mare non possis. Avaritia fervet alienarum
opum violentus ereptor? similem lupi dixe-
ris. Ferox, atque inquietus linguam litigiis
exercet? cani comparabis. Infidiator occul-
tis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis
exæquetur. Iræ Intemperans fremit? Leonis
animum gestare credatur. Pavidus, ac fugæ
non metuenda formidat? cervis similis habea-
tur. Segnis, ac stupidus torpet? asinum vivit.
Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab
avis differt. Foedis, immundisque libidinibus
immergitur? Suis sordidæ voluptatibus deti-
netur. Ita fit, ut qui probitate deserta homo
esse deserit, cum in Divinam Conditionem tran-
sire non possit, vertatur in belluam.*

Hist. Eccles. Tom. VII.

Dd